



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino
Lugduni, M. DC. LXXX.**

101. An si aliquis sciat Aulam, & Proregem cito Meßana discessurum,
possit domum locare pretio currenti? Et an sit licitum pecuniam, quam scit
breui diminuendam, mutuo dare, cum obligatione habendi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

dub. 4. num. 43. negatiuam tenet; cum limitatione tamen, si ille videlicet, in hoc non sit fide dignus: nam aliter, qui credit suae leuitati, impitet, si quod inde damnum sentiat.

2. Sed alij abolute hanc sententiam docent. Et ita tenet Salas de *empr. dub. 23. num. 2. in fin.* & Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. part. 1. precept. 7. qu. 3. dub. 10. concl. 1.* vbi sic asserit: [Copia futura mercis à te nota non minuit pretium tuæ mercis; sed licet vendis pretio currenti. Et licet interrogatus de copia futura, taceas, aut dicas, nil scire, cum non tenearis veritatem manifestare ex iustitia; imò, etsi mentiaris, dicendo, non esse futuram copiam, si alias ex tuo mendatio non creuit pretium; licet vendis pretio currenti.] Ita ille, & recte quidem: nam in tali casu dissimulare, & retinere responsum, non est actus positivus.

3. Deinde, iste æquiuocet, & amphibologicè respondere potest, cum veritatem detegere non teneatur: & licet non occurrere æquiuocatione mentiatur, mendacium non est perniciosum, sed officiosum; quia ias habet consulendi suæ indemnitati, etiamsi inde sequatur damnum tertij, & licet vtatur malo medio, scilicet mendacio, non peccat contra iustitiam, sed contra veritatem. Effer etiam aliquando contra charitatem: vt si nouerim, ex illa emptione alterum incursum in extremam, vel grauem necessitatem; nisi ego in similem necessitatem essem incursum: quia non potero vendere mercem illam, vel monetam illam distrahere, nisi illum in talem pauperem iniciendo. Sed hoc rarius accidit, idè abolute nostram opinionem in praxi probabilissimam esse exitimo.

RESOL. CI.

An si quis sciat Aulam, & Proregem cito Messanæ discessurum, possit domum locare pretio currenti?

Et an sit licitum pecuniam, quam scit breui diminuendam mutuo dare cum obligatione habendi postea eundem valorem?

Ex quo inferitur, quod si sciam pretium mercis mox minuendum, possim eam vendere pretio currenti, etiamsi sciam Magistratum condidisse decretum de illis minuendis, si tamen tale decretum non sit promulgatum. Ex p. 1. tr. 8. Ref. 45.

Sup. hoc supra lege doctrinam Ref. 96. & 97. & infra Ref. 104.

§. 1. Negatiue responder Greg. de Valentia tom. 3. *disp. 5. quest. 20. punct. 4.* ex quadam ratione, quam non bene capit Turrian. in 2. 1. tom. 2. *disp. 58. dub. 3. n. 4.* Molina tom. 2. *disp. 354. n. 11.* & Salas *tract. de empr. dub. 42. num. 8. ad 3. v. g.*

2. Idèd, & meritò, contrariam sententiam docent. Et ita etiam tenet Lessius *lib. 2. c. 21. dub. 5. num. 44.* & Ioan. de la Cruz in *direct. conf. part. 1. precept. 7. qu. 3. dub. 10. concl. 2.* vbi sic asserit: [Licet venditur domus pretio currenti in curia, etiam à sciente Curiam in breui mutandam in alium locum. Et si emis aliquid potes soluere in moneta, quam scis cras deponendam ex suo valore: & potes illam nunc mutare, & recipere postea valorem, quem habebat, quando mutasti: tibi non esset consumpturus ante eius depositionem.] Ita ille, quem vt diximus, non solum sequitur Salas, quoad locationem domus; sed etiam quoad mutationem pecunie; nam *loc. cit. in fin. dubitationis*, sic ait: [An verò sit licitum, pecuniam, quam scio breui minuendam, mutuo dare cum obligatione habendi postea eundem valorem, Syluest. *verb. usura. q. 15.* & Gabriel in 4. *diff. 15. q. 11. art. 3.* putant, esse usuram; sed parum consequenter, & falsò, vt docent Corduba, Nauarra, & Aragon, siquidem hæc communi æstimatione, & vel ex lege tantum valorem nunc habet. Idem ait Nauarrus de cambio.] Ita Salas. Quod est valde notandum pro praxi.

Sup hoc in duabus Ref. seq.

3. Et ratio horum omnium est: quia res iuste vendi potest secundum communem æstimationem pro tempore vigentem: nam iustum pretium est, quod vel Principis lege, vel communi æstimatione constat, etiamsi ignorantia, & errore fundetur: alioquin etiam, qui ignorantes currenti pretio vendidissent, tenerentur postea restituere: quod est absurdum. Ergo, &c. Ex his etiam sequitur, quod si sciam, pretium mercis mox minuendum, possim eam vendere pretio currenti; vel monetam, seu triticum alienare, & vendere, etiamsi sciam Magistratum condidisse decretum de illis minuendis; si tamen tale decretum nondum est promulgatum. Sed de his omnibus iterum redibit sermo.

RESOL. CII.

An si quis sciat breui valorem monetae diminuendum esse, possit illam alicui mutare cum pacto; vt eam sibi restituat iuxta valorem quem dicta pecunia habet, non autem eo, quem habebit tempore, quo restituum erit mutuum? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 25.

§. 1. Negatiuam sententiam amplexus est Azor. p. 3. *l. 5. c. 7. q. 9.* & Rebell. p. 3. *l. 9. q. 6. n. 7.* cū aliis.

2. Sed ego contrariam sententiam probabiliorē esse, existimo, quam docet & tueretur Reginaldus tom. 2. *l. 5. c. 23. n. 345.* & post illum Bonacina de *contr. disp. 3. q. 2. punct. 5. n. 17.* & alij penes ipsum. Et ratio est, primo quia ita mutans vtitur iure suo. Secundo, nihil accipit supra sortē, cum accipiat tantum quantum tradidit in mutuo: quod est considerandum secundum rei valorem, & non secundum rei quantitatem. Et tandem, sicut licitum est rem meam alteri tradere quam præuideo perituram; nisi vendam; ita etiam licitum videtur mutare pecuniam, cuius valorem noui Principis autoritate diminuendum. Et hæc doctrina procedit, etiamsi mutarius plus pecunie mutet cognita lege promulganda, quam aliquin distrauxisset. Hæc omnia Bonacina,

RESOL. CIII.

Mutatione monetae facta, cuius temporis æstimatio, vel quantitas in mutuo reddendo speranda sit? Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 18.

§. 1. Vastio est satis practicabilis, & inter viros doctos exagitata, ideo illam fusius pertractabo, & non loquimur de mutatione intrinseca monetae, videlicet quando materia ipsius pretiosior, vel vilior facta est; sed de mutatione extrinseca, quando valor, siue æstimatio tantum, non materia monetae, mutata est; & ego olim in isto casu mordicus tenui, solutionem monetae præstandam esse æstimationem temporis, quo pecunia soluenda est; ita sanè vt creditor in totidem aureis acquiescere teneatur quod expendit, siue æstimatio illorum aucta, siue imminuta interea fuerit. Et ita hanc sententiam tenet Fachinaus *l. 2. contr. iur. c. 9. verb. tertia est sententia.* Coraf. *l. 4. Misc. c. 13. n. 5.* Boët. *decis. 327. n. 4.* & 13. Vrsill. *ad decis. Math. de assis. 194. n. 3.* Bartol. in *leg. cum quid 3. n. 17.* Castrensis *n. 6.* Socin. *n. 42.* Alex. *n. 16.* Alciat. *n. 68 ff. de reb. creditis.* Gail. *3. obs. pract. c. 73. n. 9.* & alij penes ipsos.

2. Sed modò ego contrariæ sententiæ magis adhaereo, ex multis fundamentis, quorum primum petitur ex dicta leg. cum quid 3. in fine. ff. de rebus creditis. vbi Pomponius respondet, in mutuo id actum intelligi, vt eiusdem generis, & eadem bonitate soluatur, quia tempore nimirum contractus, siue mutui facti, datum sit. Quod si verò secundum præsentem monetae æstimationem, non illam, quæ tempore mutui contracti

up. hoc b. e. doctus. Ref. & alio. rurs. v. g.